



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. IX. In Frisiam ad vltiora studia mittitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

do tam validè fuisse succensum; vt agnosceret illum ignem spiritualem fuisse, qui non corpora sed spiritum succendisset.

CAPVT IX.

In Frisiam ad vltiora studia mittitur.

SVSCEPTO tandem, secundum desiderium suum, niueo sacrae Religionis amictu, cœpit puer religiosus, tam apud Deum quàm apud homines proficere scientiâ & ætate: sed quia nondum annos discretionis attigerat, (ante quos in Monasterio illo pueri ad Religionis habitum recipi non solebant) missus est in Frisiam cum alijs coæuulis suis, & vt ætatis scandalum tolleretur, & vt in scholis proficeret in doctrina. Profecit itaque super omnes coætaneos suos, tam in scientia, quàm in moribus: ita vt se doctorem minoribus, & Angelum socijs exhiberet. Nihil vitiorum in illo, quo

quo illud genus hominum (scholares dico) implicari videtur, (videlicet, insolentia, mendacium, inobedientia, simulationes, rixæ, contumeliæ, lacerationes, & verbera, verborum scurrilitas, sed & * cordis grauitas ad doctrinam) inerat: magis autem quadam spiritali alacritate perfusus, ad discendum promptus, ad quælibet iniuncta obediens, ita mirabiliter coætaneis suis morem gerebat; vt & apud illos specialem fauorem, & apud Deum gratiam mereretur. Tum verò in nomine Domini IES V miro succensus affectu, nihil illi in omni doctrina libebat audire, quod non salutare nomē Domini* resonaret. Quoties more puerorum fabulas poëtarum vel discere iubebatur vel legere, non sustinuit patienter: imò & ipsos se docentes, super quos iam intus spiritali vnctione docente profecerat, reprehendit, asserens, quòd Deo vero contumeliam irrogarent, falsorum deorum nomina

* Cordis grauitas ad doctrinam, idem est quod indocilitas. Substituit Surius: animi nausea & torpor ad discendum.

* Resultaret habebat MS. sed legendum resonaret.

mina in poëtarum libris etiam recitando. Solebatque nobis postmodum de quibusdam magistris suis, qui ceteris religione præminere videbantur, narrare: se non sufficere admirari, quòd viri religiosi in scriptis possent poëticiis delectari; cum tanta sint scripta, veritate subnixa, per quæ ad Dei possit notitiam perueniri. Quis enim nisi stultus quærat liliam inter spinas, unde sine punctationibus non possit abstrahi, quod facilius & utiliùs sine læsione possit acquiri? Nominare Iouem omnipotentem, Iunoni nomen diuinitatis attribuere, iurare per Herculem & per Castorem, quibuscumque falsitatibus delectari, spinæ sunt, & lacerant animam, quibus puer Domini animæ suæ temerari noluit puritatem, qui iam in solo & vero Deo didicerat delectari.

CA-